Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3065
Quelle:
Copyright:

DCCCXLVI.

949 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Pagg. 206. praeter subjectum Indicem 5. foll. constantem, nitidissime, et ea quidem manu, cui *Codicem Missalem* DCCCXX. debemus, exaratus in fol. min. Titulis omnibus aureis, et purpureis *Evangelia* continet per annum in Missa legi solita cum *Propriis* et *Communibus* Sanctorum, ducto a *Dominica I. Adventus* initio. Quod vero maximum ei pretium confert, Icunculae sunt *Evangeliis* praefixae, ea, quae in iisdem narrantur, repraesentantes. Et quidem quarundam locus vacat, aliae *cerussa*, quam vocant, leviter designatae, aliae lineari pictura jam, vel partim, vel in totum informatae, aliae demum penitus absolutae sunt, et ita quidem, ut designatio et adumbratio omnium unius ejusdemque artificis, perfectio vero duorum sit, quorum alter, idem qui designator, mira quadam facilitate simul et audacia versatur in opere, alter diligentiam paene chalcographiae admovet, cumque character *Codicis*, ut diximus, ab eadem manu, quae splendidissimum illud *Ferdinandi* Archid. *Missale* scripsit, proficiscatur, illudque *Georgio Hoefnagelio* debeamus, vix a vero aberimus, si praesentem quoque *Codicem* ad Viri hujus ingenium, industriamque referamus.

DCCCXLVII.

Codex membraneus germ. Sec. 380
XV. Folior. 241. 4. admodum luculente exaratus, rubricisque pernotatus complectitur *Epistolas* omnes per annum in Ecclesia catholica legi solitas, et *priore* quidem *Parte* eas, quae Dominicis et Feriis, *Parte altera* eas, quae Festis Sanctorum propriis vel communibus deserviunt. Inscribitur: *Hye hebt sich der epistler* (Epistolarius) *an*. Initium ducitur a Dominica I. Adventus. *Der Suntag von unsers herren czuchunfft. Paulus sprach zu den Römern.* Singulare illud, quod sola haec prima Epistola *Rhythmis* expressa sit, quorum cum priores jam *Lambecius* L. II. p. 772. edit. *Kollar. col.* 571. dederit, reliquos hic adscribam:

Dew werch der vinster werfft ab ew.
Mit dem waffen des liechtes chlaidet ew.
Alls ir des tages wellet gen.
Mit eren vnd an (ohne) *sünde westeen.* (bestehn)
West an (Seyd ohne) *wirtschafft* (Gasterey) *an trunchenhait.*
Aller vnleimt (vel *vnleunt* a Leumund fama) *sey ew lait.*
Vnd huer (Hurerey) *sey ew widerczem.* (widersam)
Wann dy ist got vngenem.
Weleibt an chrieg an allen phranchsall. (Contentio, Bedrückung)
Das ist alles der sel vall.